

Huronis ferocitate detrahit. Simul atque belli rumor increpuit, primus arma induit, postremus extuit. Quacumque incubuit, fuga hostium, clades, interne-
cio: ejusque pars magna fuit in victoria de Anglis reportata, cum ingens eorum pagus, de quo suprà memini, expugnatus est. Abducti ex illo pago captivi amplius centum, et in fœderatas barbarorum nationes, quæ prælio interfuerant, distributi. E Lauretanis Huronibus dux primarius in pugna ceciderat. Moris est apud Canadenses ut mortem ducum Suorum velut expient consolenturque captivi cuiuspiam nece. Adest affinis mortui, captivum postulat; concessum destinat flammis, et barbarem crudelitatem explere miseri suppicio parat. Ita fert gentis consuetudo. Muffare interim ceteri; senes licet in-viti, silere juvenes jus hoc armorum, victoriæ mercedem, solatum primariæ et afflictæ familiæ unicum clamitare. Tunc vero affurgens thaovenhofus, licet nondum ducis dignitate ac titulo auctus, verba facit in procerum coetu, et pro vita Captivi fidenter perorat. Rogat, obtestaturque ut meminerint se Christianos esse, ac Lauretani oppidi cives: non congruere nomini Christiano diram crudelitatem: Lauretanorum famæ injuriam hanc inuri sine summo dedecore non posse. Instat mortui nepos, urgent cognati; consuetudinem opponunt, exitio fore omnibus adhibitam in unum caput clementiam; hinc hostes ferociores et ad nocendum audacieores fore, spe impunitatis. Ego vero, ait vocem contendens, affinis